



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Radbodus Ep. 29. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

las matronâ Christianâ subministrante. Quòd tamen cæli Saturnalia instare sibi certus esset, hæc etiam vitæ fomenta xl. ante mortem diebus respuit, & cùm icones Divorum (tota illi hereditas erant) matronæ illi, de quâ diximus, donasset, obvius hostibus ivit, & post multa ludibria raptatus per urbem, calcibusque passim insultatum pulsatus, tigno denique cæsus oppetiit. Paricidæ carnifex dæmon fuit. Mulierculam lactentes gemini infantes in lecto lacerarunt, ipsi etiam sceleri immortui. Nec verò aliter decebat aut parere aut mori viperam. Ex Sur. tom. 7.

Immensus est Deus & infinitus in justitiâ, sicut & in misericordiâ; multus ad ignoscendum, multus ad ulciscendum. Sed misericordia sibi priora vendicat, ut, si voluerimus, districtio non inveniat in quem seviat.
S.Bern. serm. i. de Epiph.

S. RAD BOD U S E P . 29. Novembris.

Vitas Divorum RADBODVS speculum suum dicere est solitus. In hoc dum oculos suos defixit, alterum nobis speculum vitam ecce suam dedit. Pietatem in Caroli & Ludovici Imperatorum aulâ edoctus est, ipsissimâ virtutis tunc scho-lâ. Hæc clienti suo infulam Trajectensem peperit, dignissimo omnium calculis, præterquam suo. Submittere tamen eamdem ad pauperum pedes, quos quotidie abluebat, non dubitavit, utque oculos & suos & aliorum falleret, ex auro quidem babit, sed aquam; quam cùm libare vellet non nemo, in merum vertit RADBODVS: itaque cavit ne pessimus pocillator gloriola venenum suum virtuti affunderet. Jam Danos, cùm dicenti ad concionem obstreperent, diris devovit, quas illico

Nov. 30. Nov. VITÆ S A N C T O R V M . 583
illico senserint peste abrepti. Demum mortem
sibi, alteri insulam suam vaticinatus, inter preces,
quibus ferè vitam duxit, absolvit vitam, in opem
præcipuè D. Martinum vocans, qui morienti ad-
fuisse non vanis argumentis creditur. Illud indu-
bium, ad decumbentem virginum Reginam SS.
hinc Theclā, illinc Agnete stipatam venisse, eam
ob causam, uti ipsa ajebat, quod in precibus suis
RADBODVS numquam non memor VIRGINIS
fuisset. Et verò qui matris oblivisci filius posset?
certè oblivisci filiorum mater hæc non potest.
Ex Surio.

*Iustitia per se sibi abundat ad gloriam: spectaculum
populi, vulgi laudes, favores hominum, mundi gloriam
non requirit: à Deo genita calum spectat, in oculis agit
divinis, supernis virtutibus mixta, semper à Deo solo,
ut glorificetur, expectat. S. Petr. Chrys. serm. 9.*

S. ANDREAS A P. 30. Novembris.

A NDREAM, quo D. Petrus germano gaudebar,
tradunt omnium primum Christi scholæ no-
men dedisse; arcanorum magistri inter paucos
omnium consicum, quam hauserat doctrinam, ab
ejus morte Scythia primò, mox Epiro & Thra-
ciæ, tum Achaiæ etiā intulisse; hic contra Procos.
Ægeam, crucis acerrimum inimicum, fortiter
rem gessisse; ab hoc ad impia sacrificia invitatum
id respondisse: nobilius sibi sacrificium, idque
quotidianum esse & incruentum; Agnum illum
omnis maculæ expertem, & qui, postquam ejus
carne sanguineque omnes Christiani vixissent,
non minus tamen etiam ipse integer viveret; sub
hæc in vincula conjectum esse, eximendum fa-
cile, nisi manus ipse Christianis, precibus suis,

B b 4 vinxif-